

§. 10. Hisce præmissis dicimus: *Animam rationalem esse immortalē rationibus ex lumine naturæ petitis ostendi potest: quarum prima sic se habet: Q. est substantia spiritalis à materiâ in fieri & in esse independens id est immortale, hoc est, à nullò agente creatò interimi nec à seipso desinere potest: Atqui Anima rationalis est talis substantia E.* Major probatur: Sicuti omnis corruptio & corruptibilitas oritur ex materiâ, ut omne materiatum sit corruptibile; ita id ex intrinsecâ ratione corrumpi non poterit, quod ex materiâ non est productum nec de se materiale quid: Minor, quod nempe anima à materiâ non dependeat nec in esse nec in fieri, patescit ex Aristotele l. 2. de gen. anim. cap. 3. quando inquit: *λείπεται δὲ τὸν νῦν μόνον ἴσχυρα τὸν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον, ἰδὲ γὰρ αὐτῆ τῆς ἐνεργείας κοινωνεῖ σωματικῆς ἐνεργείας.* Si E. extrinsecus advenit anima, non liquet, quâ dici queat, eam à materiâ in fieri dependere: deinde quod neq; in esse ab eâ dependeat, ostensu itidem non difficile erit, si enim res à materiâ in fieri non dependet, neque in esse ab eâ dependebit. Sicut è conversò anima brutorum in fieri è materiâ dependet, ita quoque in esse.

§. 11. Alterum Argumentum, quod pro animæ immortalitate ex ratione depromptum proferunt, huc redit: *Si DEUS justus est, anima rationalis erit immortalis:* Atqui antecedens est verum E. & consequens. Quod argumentum CLEMENS Petri Apostoli discipulus 3. libr. recognition. teste RUVIO tr. de Anim. sep. q. 4. testatur se sub hâc formâ accepisse ex ore B. Petri Apostoli. Hic obiter notari debet, quod istud scriptum Clementis sit scriptum suppositiû & dubiæ fidei, ceu admonet Robertus Cocus in censurâ quorundam scriptorum Veterum p. m. 36. Consequentia autem ejus probatur, quia lumine naturæ evidens est, Deum infinitâ suâ providentiâ hunc mundum gubernare & non minùs evidens est, ad providentiâ summi Rectoris spectare malos punire & præmiò afficere bonos. Ergò etiam evidens erit ex lumine Naturæ, hoc pertinere ad divinam providentiâ; nec minùs evidens est, quod non fiat in vitâ præsentî, in quâ potius videmus bonos vitam innumeris obnoxiam injuriis vivere & multa pati, malos verò prosperam vitam delitiisque affluen-  
tem